

cui Euphyander assentiri ac sese dedere jure debeat: hincjurare in verba magistri non debet, nisi veritas ipsa magistra sit; nec Thomistis, nec Scotistis plus & quo addictus esse; amici omnes sint veritatis amatores; omnium certè sectarum capita suspicere ac vereri potest, non tamen viliis adinstar mancipiis servire; præsertim cum de illorum mente ut plurimum dubitetur; hinc tamen multò doctissima in Aristotelem commentaria scripsere, qui tamen inter se nullo modo conveniunt. — Itaq; Euphyander libertatem animi retineat, nulli parti se mancipet, ne aliquando erroris servire cogatur; in eo semper status sit, in quo de rei propositæ veritate liberè judicet; uniratione det manūs, eiq; demonstrativæ &c. Sequenti Cap. XI. p. 103. postquam Sectariæ Philosophiæ incommoda pluribus enarrasset ac lectu dignissimis verbis; ita porrò Euphyandrum suum fideliter monet, istis factiōnum impedimentis, si sapiat, ne se ingerat vel implicet, sed unius veritatis amore ducatur, etiam in hoste amandam: Si qua in re, inquit, veritas Thomistica est, non propterea stabis à parte Thomistarum; sed tolle quod tuum est, & vade; Si fortè Scotica aut Nominalis; non ideo subtilis Scoti, vel acris Ochami castra sequeris; sed rosam ex illo spineto vel roseto excercepe, & abi; illam animi libertatem intactam serva, quam tibi sub hujus initium libri exposui: Servire Deo, amicis & musis honorificum, immo regium est; sed factiōnibus seu tumultibus Scholasticis devovere sese, ingenuo adolescentे optimoq; ingenio prorsus indignum.

IX. JOH. BAPT. DU HAMEL in Epist. Dedicat ad Illustriss. COLBERTUM, Galliæ Regis Consiliarium intimum, &c. Tractatui de Corporum Affectionibus præfixa, Merito, ait, conqueritur Angliae Cancellarius (Verulamium indigitat, cuius hanc querelam reperire est. Lib. I. de Scient. Augmentis p. m. 19.) quod plurimæ artes mechanicae à tenuibus initiis penè ad summam pervenerint: scientia autem, quæ in rerum contemplatione versantur, immotis velut stent vestigiis, & statuarum more adorentur, non moveantur. Idq; eorum inertia factum existimat,